

superest otii, illud magnorum quorundam hominum exemplo ingenue fateor his a me tribui litterarum studiis. Erunt fortasse, qui similem ab hoc quaestionum genere expectantes fructum, non fastidiant hanc qualemcunque commentatiunculam: atque his me non omnino displicuisse satis habebō. Iam vero meum esse videatur, pacem magnorum virorum exorare, a quorum acutissimis praestantissimisque commentationibus discedere passim ausus sum. Verumtamen contineo ipse me: neque quin animum tantorum virorum, eiusmodi adhibita excusatione, offensurus potius forem, quam gratiam conciliaturus, dubito; ut qui non ingenii magis atque eruditionis, quam summae humanitatis laude conspicui & sunt & esse cupiunt. Neque etiam tempus operamque perdi opus fuisset, si quidem, quod dicerem, aliud habuissem nihil, nisi quod dudum ab eruditissimis quibusque viris dictum est. Caeterum si Deus vitam atque vires benigne concesserit, neque mea *TIBI* displicere sensero; cogitationes meas de vniuersa priscarum gentium theologia, locis quibusdam communibus conclusas, propediem publice exhibebo, quibus causas errorum fontesque aperire atque ostendere constitui, quam non modo perniciose sed & inepte absurdeque lapsi sint omnes omnium gentium sapientes in suis de natura diuina decretis, si quidem eadem cum sanctissimis sacrarum litterarum praeceptis conferas. Vale, *BENIVOLE LECTOR*, conatibusque meis, si quidem me, cui faueas, dignum iudicabis, faue.

CAP. I.